

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. I. In actibus elicitis voluntatis nihil potest violentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](#)

pro illo instanti, quo peccat, & habet omnia requisita ad operandum, potest non operari potentia antecedente, h.e. absoluta & praescindente ab hypothesi incompossibili, concedo: consequente & involuente talem hypothesin, nego consequiam.

13. *Obijcies quinid.* Ideo voluntas prædeterminata ad amandum posset non amare in sensu diviso, quia si præmotio auferatur, vel ponatur opposita, potest actum oppositum, vel negatioem amoris ponere: atqui hoc non sufficit ad salvandam libertatem & potentiam proximam in oppositum: nam causa quoque necessaria, v.g. ignis potest non comburere, si quod est prærequisitus ad agendum ab ipso removeas. Hac etiam ratione Beatus ad DEUM odio habendum, damnatus ad amandum, haberent potentiam proximam; quia ille in sensu diviso visionis potest odio habere, iste autem in sensu diviso, h.e. remoto statu damnationis, posset DEUM amare.

*Rsp.* negando majorem: quia procedit ex intellectu sensus compotiti & divisus. Ratio agitur est: quia positis omnibus requisitis ad agendum, ipsaque prædeterminatione, voluntas regulata per indifferentem cognitionem habet verissimam potentiam ad oppositum: ita scilicet ut vi indifferentis istius propositionis æquè posset in oppositum tendere, nisi supponeretur jam in actu secundo opposito [ quæ suppositio conditionalem necessitatem inducit ] per divinam motionem causaliter, per propriam quoquedeterminationem formaliter constituta: qualen indifferentem propositionem nec in igne, sive causâ naturaliter agente, nec in Beatis, ne damnatis repertis. Solet etiam obijci, quod ex prædeterminatione sequatur, DEUM fieri auctorem peccati, quam tamen sequelam disputationem de peccato, ibi commodius refutandam, remittimus.

## DISPUTATIO VII.

DE

### Involuntario ad. q. 6.

**I**nvoluntarium in præsenti accipimus non negative, pro non voluntario, sed positive, & contrarie, ejusque causas discutimus; quarum 4. communiter enumerantur, iuxta 4. modos, quibus voluntas vel ex parte fui, vel ex parte cognitionis à motu voluntario impeditri potest. Nam cognitione requisita impeditur vel ignorantia, vel passione concupiscentiae; influxus vero voluntatis impeditri potest, vel metu, vel violentia. Unde sunt causæ involuntarij, violentia, metus, concupiscentia, & ignorantia.

#### ARTICULUS I.

##### An ḡ quomodo violentia causet Involuntarium.

###### S U M M A R I A.

2. *Violenti expositio.*
2. *Involuntarium aliud simpliciter, aliud secundum quid.*
3. *Aktu imperati patiuntur violentiam.*
4. *Non actus elicit.*
5. *Negre cessatio ab illis.*
6. *Potest odium proprium esse fieri voluntarium.*
7. *Stante indifferenti propositione objecti non potest voluntas necessitari ad actum.*
8. *Subtrahit divini concursus ad comburendum igni Babylonicu non fuit violentus.*
9. *Aktu imperati & coacti quomodo sint à principio intrinseco?*
10. *Violentia simpliciter causat involuntarium.*
11. *Qua coacte sunt, neque ad meritum, neque ad demeritum valent.*
12. *Baptismus adulto collatum per violentiam est invalidum.*
13. *Vic illata non est moraliter violentia, si in resistendo non adhibeas debitam diligentiam.*
14. *Regula ad dignoscendum, quanta sit adhibenda resistentia?*

###### §. I.

*In actibus elicitis voluntatis nihil potest violentia.*

1. *Violentiam dicunt Philosophi esse ab extrinse-*

*co, passo reniente.* Unde distinguunt violentum a necessario, coacto, & involuntario. *Ancessario;* quia hoc reperitur in quolibet actu determinato ad unum, licet illi sit à principio intrinseco, & quam maximè voluntarius; veluti de amore beatifico dictum est. *A coacto;* quia licet istud semper sit conjunctum cum violentia, tamen proprie dicitur tantum de cognoscentibus, ideoque minus latè patet, quam violentum, quod etiam dicitur de non cognoscensibus. *Ab involuntario;* quia istud etiam ex ignorantia causari potest, ideoque latius patet, quam violentum. *Cæterum violentia vel est simpliciter, vel tantum secundum quid.* Simpliciter talis est, si provenit ab agente extrinseco, passo viribus resistente. Violentia secundum quid est, cum equidem provenit ab agente extrinseco, sed tamen non omnem possibilem ac debitam resistentiam adhibente, adeoque vel formaliter, vel virtualiter cooperante.

Rursus *Involuntarium* aliquando est simpliciter tale, cum nempe, consideratis omnibus circumstantiis, voluntas aliquid absolutè respicit; secundum quid tale est, quando illud voluntas in his circumstantiis absolutè quidem vult, conditionate tamen, & si tales circumstantia absent, illud non vult, veluti mercator ad servandum

vitam vult absolutè merces in mare proiecere, quas tamen nollet abijcere, si vita periculum aperget. His positis

**CONCLUSIO prima.** Voluntas in actibus à se imperatis potest pati violentiam. Ratio est; quia pollunt potentia externa subiectæ voluntatis imperio per vim extrinsecus illatam cogi ad actus imperio & inclinationis voluntatis contrarios, vel vice versa impediti ab actibus à voluntate imperatis: ut si virgo per vim stuprum patiatur: si quis vinculis injecis ab alicujus loci accessu arceatur: sed hoc modo voluntas patitur violentiam, siquidem resulit effectui à principio extrinsecu illato. Ergo voluntas in actibus imperatis potest violentiam.

**CONCLUSIO secunda.** Voluntas in actibus dicitur, aut in cessando ab illis, non potest pati violentiam. Prima pars constat auctoritate & ratione infinita à D. Anfelmo I. de lib. arbit. c. 6. dicente: Invitus nemo potest velle aliquid, quia non potest nolens velle. Nimis omnis actus elicitus voluntatis est vel inclinatio ipsius, ab eadem tantum principio conjuncto & intrinseco proveniens, vel oritur ex ipsa inclinacione voluntatis, si est actus fugæ: sed neutro modo potest esse violentus; siquidem violentia requirit principium mere extrinsecum, & simul resistentiam passi.

Secunda partis ratio est: In tantum voluntas pati debet violentiam in cessatione sui actus, in quantum propter subtractionem divini concursus non posset continuare actum sibi maxime proportionatum, ut si DEUS denegaret concursum ad amorem fructuum animæ videnti Deum: sed voluntas in tali casu propriè non patitur violentiam: ergo. Minor probatur: Causa inferior non alicet inclinat in suos actus, nisi ut exercendos eum dependant ab influxu causæ superioris, unde, cessante motu causa superioris, cessa etiam inclinatio causa inferioris in suum actum: Atqui in predicto casu cessaret influxus talis superioris: ergo pariter cessaret inclinatio causa inferioris in suum actum, & consequenter illa cessatio non esset contra inclinationem, & tenetiam voluntatis.

### §. II.

#### Solvuntur Objectiones.

**Obiectum primò.** Si DEUS determinaret voluntatem ad proprium esse odio habendum, tunc actus odii esset contra inclinationem naturæ & simul à principio extrinseco: ergo esset violentus.

**Respondens.** Non posse determinari voluntatem ad proprium esse odio habendum, nisi sub ratione alicujus miseriae, quo casu actus odii erit simpliciter voluntarius.

**Obiectum secundò.** Si DEUS circa objectum in intellectu indifferenti proposutum necessaret voluntatem ad actum determinatum; tunc ille actus erit necessarius & contra connaturalem inclinationem voluntatis: ergo erit violentus.

**Respondens,** negando, quod stante indifference propositione objecti in intellectu DEUS possit necessitate ad actum voluntatis; siquidem illa objectiva indifference est radix essentialis ipsius

libertatis in voluntate; unde actus ex vi talis obiectiva indifference elicitus hoc ipso est liber.

**Obiectus tertius.** Non minus est contra inclinationem voluntatis si ipsi subtrahatur concursus ad amandum DEUM clarè visum, quam fuerit contra inclinationem ignis Babylonici subtrahatio concursus ad comburendum: sed ignis Babylonicus passus est violentiam: ergo etiam patienter voluntas violentiam in esando ab amore.

**Respondeo** negando minorem; & quod subtractione concursus ad comburendum fuerit contra omnem ignis inclinationem: licet enim fuerit contra ipsums inclinationem particularē, non tamen contra universalem secundū quam causæ prime & universalē obedientialiter subiicitur. Unde in meliori philosophia negatur, à DEO ulli creaturæ propriè inferri violentiam, quia DEO supra naturam operati omnis creatura obedit; & tunc inclinatio in bonum particulare cedit inclinationi in bonum universale. Ideo de igne Babylonico Sap. 16. dicitur: Ignis, ut nutritur iusti, etiam sua virtutis oblitus est: creatura enim tibi factori deservient exardescit in tormentum aduersus iniquos Eccl. & D. August. lib. 26. contra Faust. DEUS Creator & Conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit: idcirco est cuique naturale, quod ille facit, a quo est omnis numerus, motus, & ordo naturæ.

**Obiectus quartus.** Etiam actus imperati à voluntate sunt à principio intrinseco, & secundū inclinationem potentiarum, v.g. visio per oculos violenter apertos est à potentia visiva, motus progressivus per violentum impulsum est à potentia loco-motiva & juxta inclinationem ipsius: ergo etiam in actibus imperatis voluntatis non repertur propriè violentum.

**Resps.** actus imperati & coadiūtū sunt à principio intrinseco comparativè ad potentiam elicentem, concedo: ad potentiam seu voluntatem imperantem, (qua in definitione voluntarii nomine principii intrinseci intelligitur) nego. Ergo non sunt violenti, quatenus præcisè sunt à principio proximo elicente, concedo: quatenus sunt contra voluntatem repugnantem, nego.

### §. III.

#### Violentia causa involuntarii.

**CONCLUSIO tertia.** Violentia simpliciter causat involuntarium simpliciter. S. D. hic q. 6. a. 5. Ratio ex dicti quidem est à principio pure extrinseco, voluntate nihil de suo conferente, imo pro viribus resistentiæ, hoc est simpliciter involuntarium; sed ita se habet violentum simpliciter: ergo violentum simpliciter causat involuntarium simpliciter. Hinc

**Colligimus primò.** Ea qua coactæ & ex violentia sunt, neque ad meritum valere, neque ad demeritum, seu peccatum; quia deest voluntarium, sine quo neque merito, neque demerito potest esse locus. Unde, si quis violenter cogeretur ad reverentiam & cultum sive vero sive falso DEO exhibendum, neque per priorem actum haberet meritum, neque per actum posteriorem haberet peccatum.

**Colligimus secundò.** Baptismum per violentiam collatum adulto tenenti esse invalidum; nam ad